



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XIV. De Camera Apostolica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](#)

tuis taxa est varia pro varietate & graviitate negotiorum.

*Vestrius l. 1. c. 7. Card. de Luca Relat. cur.
Rom. c. 7. Lunador. Rel.*

C A P U T XIV.

De Camera Apostolica.

§. I.

De Tribunal Cameræ Apostolicæ.

1. Antiquitus pontifex suppresso Officio Archidiaconorum, curam per se habebat aerarii.
2. Sed postea eam commisit Cardinali Camerario, & institutum est Tribunal Cameræ.
3. Quæ refrantur ad hoc Tribunal.
4. Qui Officiales ad illud spectent.
5. Quando congregentur.
6. Ordo sessionis & qui votum habeant.
7. Advocatus & Procurator partium exeunt e Tribunali, postquam Judices informarunt.
8. & 9. Quomodo suffragia ferantur.
10. Causæ distribuuntur inter Clericos, qui eas a se examinatas in Tribunali proponunt.
11. ubi terminari debent.
12. Jurisdictio hujus Tribunalis restricta est.
13. Offi-

13. *Officiales ejus præstant juramentum & sunt
immunes.*

1.

Primis Ecclesiæ temporibus sub persecutionibus Tyrannorum commissis Pontifex utpote Divinis intentus curam & administrationem peculii, & thesauri Ecclesiæ Archidiaconis. Cessante deinde persecutione, cum ob insolentem arrogantiam supprimi debuerit officium hoc & dignitas Archidiaconi, suscepit ipsemet Pohtifex curam cognoscendi & tractandi non solum causas publicas privatasque gratiam & justitiam concernentes partim in consistorio cum consilio Cardinalium, partim in Capella cum assistentia Capellanorum, sed etiam negotia quæ ad ærarium & fiscum spectabant in Camera sua domestica cum opera & adjutorio quotundem Prælatorum, qui propterea Cameræ Apostolicæ Clerici, quasi ad hanc Cameram electi, nuncupati sunt.

2. Verum cum successu temporis ingrauescentibus negotiis Pontifex omnitudinem causarum consistorialium, aliarumque quas in Capella cognoscebat, vacare non posset iis, quæ ad Cameram & Fiscum pertinent, administratio-

nem

nem Cameræ commisit alicui Cardinali, qui ob id Camerarius dictus est, eumque præfecit Clericis Cameræ, ex quibus proinde aliisque nonnullis Camerarii Officialibus Tribunal hoc constitutum est; Cui hoc tempore rarius interesse solet Pontifex, nisi cum de gravioribus ærarii & annonæ rebus, vel de mala diplomatum expeditione tractatur.

3. Referuntur ad hoc Tribunal Cameræ Apostolicæ in primis ea omnia, quæ ad regimen Politicum Urbis Romanæ omniū Ditionum in temporalibus Pontifici subjectarum spectant, ideoque in ea præficiuntur Magistratibus & Provinciis Præsides (exceptis S. Sedis Legatis) qui etiam juramentum fidelitatis in manibus Camerarii deponunt. 2. Proventus & rationes universi ærarii Sedis Apostolicæ examinantur. 3. In ea celebrantur contractus cum Pontifice de rebus publicis ad ejus dispositionem spectantibus. 4. In ea quoque expediuntur Literæ beneficiales, si vel Oratores seu supplices hanc expeditionis viam sibi elegerint, vel ob materiæ qualitatem gratia per Cancellarium expediri non potuerit. 5. In ea utroque gladio delin-

delinquentes puniuntur, pœnaeque seu profanæ seu Ecclesiasticæ pro qualitate personarum & natura delicti statuantur 6. In hac audiuntur cause & controversiae de publicis functionibus & veritatislibus tam Ecclesiasticis ex universo orbe, quam temporalibus ex statu Pontificio delatae. 7. Demum ad hoc Tribunal tanquam ad supremam & propriam ipsius Pontificis audientiam confluunt per appellationem subditi omnes ex universo statu Ecclesiæ temporali in partibus gravati. *Vestr. l. 2. 6. 1.* Verum plurima ex his exequenda committuntur Auditori, Gubernatori Urbis & Thesaurario, qui singula sua habent Tribunalia, à quibus tamen ad hoc Tribunal Cameræ datur appellatio.

4. Cum ergo tam varia & disparata sint negotia, quæ spectant ad hoc Tribunal, diversi quoque Officiales illi intersunt, & occurrentes causas negotiaq; expediunt, ut sunt Cardinalis Camerarius, Gubernator Urbis Romanæ tanquam Vibe-Camerarius, Thesaurarius Generalis, Auditor Cameræ, Preses Cameræ, Advocatus Pauperum, Advocatus Fisci, Procurator Fisci in Civilibus, qui Commissarius Cameræ vocatur

catur, & 12. Clerici Cameræ, quorum unus est semper Præfetus annonæ, unus Præfetus Græciæ, unus Præfetus carcerum, & unus Præfetus viarum, de quorum omnium officio & jurisdictione infra quædam sub-jungentur.

5. Congregatur hoc Tribunal in Palatio studii publici, quod Sapientiæ dicitur, bis quavis septimana Feria secunda & quinta, iisdem nimis diebus, quibus conveniunt Auditores Rotæ, nisi quod in Mensa Martio, si in Feriam sextam incidat Festum, Tribunal hoc Cameræ habeatur Feria quarta, licet Rota habeatur Feria sexta. In Feriis quoque Æstivis cæterisque anni temporibus, si Consistorium celebretur, congregatur quoque eadem die, quæcunque illa sit Tribunal Cameræ. In Vigilia etiam Ss. Apostolorum Petri & Pauli habetur Camera extraordinaria in Palatio Apostolico Vaticano vel Quirinali, ubicunque fuerit Pontifex, ut recipiantur tributa & census à Feudatariis Ecclesiæ. In ultimo Cameræ Conventu datur Officialibus ad eam spectantibus à Pontifice in Palatio Apostolico lautum prandium, & prima die Augusti aliud iisdem

iisdem instruitur à Cardinali Camerario.

6. In ipso Tribunali sedent ad mensam circularem ex uno latere Cardin. Camerarii duodecim Clerici Cameræ, ex altero reliqui supranominati Officiales, qui ad distinctionem Clericorum vocantur Camerales; Soli Clerici votum ferunt decisivum, cæteri solummodo discurrunt, & si suffragium dare velint, eorum omnium votum, prout uno decisivo numeratur, supplendo nimicum vices Camerarii, cuius nomine interveniunt.

7. Porro Advocatus & Procurator partium postquam Judices informarunt, exeunt è loco Tribunalis, Procurator vero Fisci cum reliquis, quando vota ferruntur, cum facultate respondendi difficultatibus, quæ per Judices inter suffragandum ingeruntur, remanet.

8. Suffragia vero Clerici Cameræ in singulis causis omnes ferunt, sed peculiari & distincto à Regulis juris & aliarum electionum usitato modo, nam primo major pars votorum non constitutur hic ab excessu supra medietatem, sed major dicitur illa, quæ talis est comparativè ad alias partes; Sic si ex 12. Clericis

Clericis duo abeant in unam sententiam tres in alteram, iterum tres in tertiam, demum quatuor in quartam, hæc ultima sententia prævalet, & conclusum facit. Deinde cum quis Clericus suam habeat Provinciam seu Præsidentiam, ut vocant, in qua partes gerit Judicis primæ instantiæ, à qua datur appellatio ad Cameram, si quæratur an Præsidentis illius sententia confirmanda sit, vel rejicienda, ipsemet quoque non secus ac alii Clerici votum habet in propria causa decisum.

9. Si paria sint suffragia Ponens, seu Commissarius causæ votum habet decisum, non secus ac in aliis Congregationibus & Tribunalibus, quia hic censetur majorem magisque distinctam habere facti informationem.

10. Distributio causarum fit inter Clericos per Decanum, id est, Seniorem inter illos; Ponens, postquam causam sibi eomissam examinavit, declarat quando causam in Tribunali proponere intendat, subscribendo Schedulâ quæ Dignemini appellatur, per quam Ponens monet Collegas quo die propositurus sit causam, ideoque dignentur audire Partes seu verbis seu scriptis informantes, quod
&

& Partibus indicatur. Informandi modus idem est, qui in Rota servatur.

11. Latâ in hoc Tribunali sententiâ, si res de natura sua sit appellabilis, & de jure communi tres, vel duas exigat conformes, committitur denuo à Decano alteri Clerico, ut causa in eodem isto Tribunali terminetur, cum ab eo non detur appellatio ad alium Judicem, nisi cum visum fuerit Pontifici, ad Signataram gratiæ, cui solum hoc Tribunal subest.

12. Jusisdictio hujus Tribunalis restricta est ad certum genus causarum Fiscuum, in quibus nimirum Fiscus seu Ecclesiasticus seu temporalis jus aliquod immediatum vel mediatum habet. Olim tractabantur quoque in hoc Tribunali causæ communictatum, de quibus nunc cognoscunt Congregationes, Consalvæ & boni Regiminis; Si tamen agatur de collectis & gabellis similibusque, ad quæ Fiscus jus suum habere dicitur, ingere se hodiedum solet.

13. Electi ad hoc Tribunal in locum decedentium, non alias servant solennitates, nisi quod præstent consuetum ex dispositione juris communis juramentum;

tum; Inter cæteras prærogativas , quibus non solum Clerici sed etiam cæteri Officiales Camerales gaudent , hæc est , singularis , quod exempti sint à Gabellis , Dohanis aliisque publicis oneribus etiam postquam officium suum dimiserunt.

§. 2.

De Cardinali Camerario.

1. Olim Ecclesiæ bona administrabant Archidiaconi , postea Cardinales , qui Camerarii dicitur.
2. Hi amplam habebant potestatem.
3. Quod fuerit eorum Officium.
4. Et jurisdictione.
5. Ob multitudinem negotiorum assumebant varios Officiales.
6. Quorum primarii postea constituti sunt à Pontifice , & potestas Camerarii restricta est.
7. Hoc tempore quam habeat jurisdictionem.
8. Officium ejus non expirat cum morte Pontificis.
9. Sede Vacatura & vacante magna est autoritas Camerarii.
10. Defuncto Pontifice administrationem habet Palatii Pontificii.

Kk

II. Que



11. Quae sit authoritas & jurisdictio ejusdem
Sede vacante.

12. Officium Camerarii emitur ; Quem
licet?

I.

PRIMUS in Urbe Diaconus, qui Archidiaconus dicebatur, administrabat olim bona Ecclesiæ, curamque habebat redditum Cameræ, & causis præerat Romæ, ut testatur S. Augustinus *In quast. ex utraque mixt. q. 101.* Cujus proinde authoritas, & dignitas erat amplissima. Sed cum ex ambitione & arrogantia ultra terminos Officialis hinc se efficeret, translatum est circa annum 1100. Officium illud in Cardinalem aliquem, qui Camerarius dictus est, cui Clerici Cameræ Apostolicæ tanquam Coadjutores adjuncti sunt.

2. Hic tractu temporis ob multipli-
ces quas accipiebat, Papæ commissio-
nes pristinam Archidiaconi potestatem
resumpsit; Nam in omnia urbis, ejusque
districtus profana regimen habebat im-
mediatum, mediatum etiam per statum
Ecclesiasticum, si ad Tribunal ejus ap-
pellationes fierent. Cognoscebat etiam
causas, quæ à foro Ecclesiastico ab or-
dinariis

dinariis locorum & Metropolitanis, ad Curiam via appellationis devolvebantur, & de quibus utpote levioribus vel criminalibus Pontifex in Consistorio vel in Capella nil decernere volebat, ideoque hoc casu Camerarius quodammodo Vicarium Papæ referebat.

3. Potissimum vero Officium Camerarii erat ærario seu Fisco Romani Pontificis, & patrimonio Romanæ Ecclesiæ præesse. *Glos. V. expirare, & V. Camerarium in Clem. Ne Roman. de Elct.* Ideoque recipiebat, & custodiebat bona, quæ ad Cameram Apostolicam pertinent. *e. ad audientiam de præscript.* & jurisdictionem in omnes debitores Cameræ Apostolicæ, omnesque causas cognoscebat summiè interesse Cameræ ejusdem concernentes. *urbanus V. Const. I. Apost.*

4. Subjiciuntur ergo jurisdictioni Camerarii tam in Urbe, quam extra causæ circa datia Gabellas & Dohanas, eorumque officiales. *Leo X. Const. 24. Licet.* Item omnes depositarii & Thesaurarii per statum Ecclasiasticum. *Ibid.* & tenentur omnes illi, & similes officiales Urbis & Dictionis Ecclasiasticæ illi parere. *Paulus III. Const. 41. Roman.* Habet etiā Camerarius facultatē revidendi computa etiā solidata

K k 2

pius

Pius IV. Const. 26. Romanū. ac inhibendi; & ad se vocandi sub censuris & pœnis sine alio Papæ Mandato causas ærarium Cameræ concernentes, nisi commissio subscripta sit manu Papæ cum derogatione hujus Constitutionis Pius IV. Const. 35. Cui sicuti. Avocare vero potest causas ab omnibus Tribunalibus & Judicibus, etiā Cardinalibus, & causas criminales comittit Iudicibus ordinariis et criminalibus. Clem. VIII. Const. 65. In conferendis. Habet quoque jus circa venditionem pignorum Hebræorum, & eorum furtæ; Percipit emolumenta ex Collectoria Hispaniarum aliorumque locorum. Ibid. Non potest vero Camerarius ejusque Officialis concedere commissionem in forma: si in evidentem. Super alienationem rerum Ecclesiæ. Pius V. Const. 69. Nee potest dare licentiam vendendi stabilia, creandi census, aut celebrandi nundinas. Clemens VIII. Const. 65. In conferendis.

5. Cum vero per seipsum omnibus illis negotiis vacare non posset, assumptis Officiales aliquot, quorum opera uteretur, nimirum auditorem pro cognitione causarum appellationum, Gubernatorem Urbis, qui & Vice-Camerarius

dicebatur pro administratione rerum profanarum in urbe ejusque districtu , & Thesaurarium , cui cura ærarii , causæque Camerales minores , ad quas suffragium Clericorum non erat necessarium , committebatur , aliosque ministros & Officiales minores .

6. Verum ob eandem forte rationem , ob quam dignitas Archidiaconi suppressa fuit , paulatim quoque Camerarii auctoritas diminuta est , dum Pontifex prædictos Officiales , Auditorem , Gubernatorem , & Thesaurarium indendentis à Camerario constituit , qui propria sua efformarunt Tribunalia , ita tamen ut quæ negotiæ majora in iis ocurrant , ad Pontificem deferant . Hinc potestas & auctoritas Camerarii alligata solummodo mansit honorificæ illi Præfecturæ Cameræ Apostolicæ , dum administratio ipsa penes Thesaurarium sit & Collegium Clericorum . & usus nunc docet , & refert de Luca . *Rel. Rom. Cur. disc. II.*

7. Manet tamen species aliqua auctoritatis , & jurisdictionis Camerarii , dum Tribunal Cameræ præsidet tanquam caput & Præfector illius , dumque congregantur domi illius statis temporibus Clerici , cæteriq; Officiales Cameræ con-

K k 3

suta-

524 De Cardinali Camerario.

Sultaturi de rebus gravioribus & commune bonum concernentibus. Præsturam quoque habet Gymnasi, quod à Sapientia nomen habet. Ideoque si qui Doctores Canonum aut Juris ibidem promoveantur, nominat Prælatum aliquem, ut plurimum Auditorem Rotæ, qui actui præsideat.

8. Non expirat Officium Camerarii cum morte Pontificis, idque duplice causa, primo ne negligantur redditus temporales ad Romanam Sedem pertinentes, sine quibus Spiritualia diu esse non possunt. *e. Ex Officii de prescript. i. Cum secundo de præb.* Deinde propter sustentationem pauperum, ne interim famæ pereant. *e. Pasee dist. 86.* Pertinet enim ad Cameram temporalia pauperibus erogare. *Glos in Clem. Ne Romani V. eo tamen.* Hinc S. Laurentius respondit Tyranno: *Thesauros, quos queris, manus pauperum deportaverunt.* Ideoque incumbere potest Camerarius Sede vacante exactionibus pecuniarum, & provisioni rerum pro statu præsentí duxat *Pius IV. Const. 63. In elig.*

9. Sede vero vacante aut jamjam vacatura major dignoscitur potestas Cardinalis Camerarii, & antiquam præferre

ferre videtur authoritatis præminen-
tiam; Quandoquidem ubi fama percre-
buit de extremo Spiritu Pontificis, con-
fert se ad morientis cubiculum, nec adi-
tus denegari potest, ut certior fiat de
vita seu morte illius pro juribus & com-
modis Cameræ observandis, & si velit
in ultimis consistente Papa, apponit ad
ingressum Palatii Custodes armatos.

10. Defuncto enim Pontifice præsen-
te Camerario ejusque Tribunali lustra-
tur cadaver; Quo facto Camerarius
frangit annulum Piscatoris, prout di-
ctum est. cap. 2. §. 2. atque administra-
tionem suscipit Palatii Apostolici, quod
etiam inhabitat, usque ad clausuram
Conclavis, incolitque conclavia, in
quibus Pontifex morari solet, & varia
ejusdem Palatii Officia inter Cameræ
Clericos distribuit, ut unus curam ha-
beat aulæ Pontificiæ, alter supellec-
tuum, tertius cellæ vinariæ, quartus rem
curet frumentariam aliquæ alia.

11. Camerarius quoque construi &
adornari curat Conclave pro Ele-
ctione novi Pontificis cuius ma-
terialia deinde electo Pontifice donare
pro libitu potest cuicunque. Cudit quo-
que monetam cum suis insignibus, &
incedit per urbem stipatus Helvetis Pon-
tificij s

tificiis cum consuetis armis & vestibus, sed minori numero, quam cum Papam prosequuntur. Asservat etiam clavem unam Thesauri, qui in mole Hadriani, seu Castello S. Angeli asservatur, alteram habet Collegii Cardinalium Decanus. Ob hanc ergo jurisdictionis, facultatum & Privilegiorum amplitudinem, quæ Leo X. *Const. 24. Licet.* & Julius III. *Const. 3. Licet.* Confirmavit & auxit, præ cæteris Cardinalibus majorem habet dignitatem. Extra Cameram tamen, occupat locum, qui ei tanquam Cardinali competit nullo habitu respetu ad Officium quod gerit. *Cassan. in Cat. glor. mundi p. 4. consid. 14.*

12. Camerarius quotannis percipit ad 12, vel 14 millia Scutorum ex hoc suo Officio, quod multis millibus comparari solet. Sed quæritur an licet & sine labore Simoniæ, cum Camerarius mixtam habeat jurisdictionem Ecclesiasticam & Spiritualem? Respondetur, in ejusmodi Officiis, quæ tamen potissimum profana sunt duo considerari possunt. Potestas seu jurisdictione Ecclesiastica, & emolumenta, seu fructus Officiorum: Si spectetur jurisdictione, ejusmodi Officia vendi non possunt sine Simonia, si vero spe-

spectentur emolumenta illorum, vendi sine labe possunt, & venduntur à Pontificibus pro expungendis debitibus Cameræ, aut subsidio contra Turcas, aliasvè in causas pias impendendo ; Non secus ac calix consecratus vendi sine labe Simoniae nequit, si ratio habeatur consecrationis, eaque in contractum veniat, licet tamen veditur, si materia solummodo spectetur. Cæterum alia Officia majora, quæ præcipua ex parte Ecclesiastica sunt & Spiritualia, nomineque Papæ ut Papæ, seu etiam ut Episcopi Urbis administrantur, ut sunt munera Vice - Cancellarii, Pœnitentiarii, & Vicarii vendi sine labe nequeunt, licet annexa habeant emolumenta magna, pinguesque redditus temporales, ideoque gratis omnino à Pontificibus conferuntur.

§. 3.

De Auditore Cameræ.

1. Auditori Cameræ traditus est gladius spiritalis.
2. Est judex ordinarius Curiæ Romanae.
3. Appellatio fit ad eum in causis Ecclesiasticis extoto orbe terrarum.

4. Po-

528 De Auditore Camera.

4. Potestatem quosque habet criminalem, & dum eam exercet, non incurrit censuras.
5. Est Executor obligationum factarum iuste formam Camerae.
6. Et literarum Apostolicarum in partibus.
7. & 8. In quibus causis se non ingerat Auditor.
9. Utitur opera Vicegerentium tam in Civilibus quam temporalibus.
10. Et decem Notariorum, quorum Officium venale est, & hi habent Substitutos suos & Amnuenses.
11. Plurimum his fidit.
12. Monitoria extra Curiam dantur in pergameno.
13. Quae simplicem solum continent citationem.
14. Locum tenentium salarium & labor.

I.

Summus Pontifex à Christo, cuius in terris est Vicarius duplēm accepit gladium Spiritualem & temporalem. Hunc Gubernatori Urbis exercendum tradidit, ut §. sequenti dicemus, istum Auditori causarum Cameræ Apostolicæ vibrandum pro necessitate commisit; Hinc nominat eum Vestrius l. 2. t. 4. o. mniū censurarum alterum Vulcanum &

& Fulminatorem. Habet enim Auditor Cameræ amplissimam Jurisdictionem in omnes, ut possit contumaces per fulmina, hoc est, Censuras & Excommunicationem ad Officium compellere.

2. Est namque Judex ordinarius Curia Romanæ omniumque in urbe com morantium, sive incolæ illi sint, sive exteri, ideoque cognoscit causas Mercatorum, Camporum, & pensionum annuarum, etiamsi solutio alibi facienda sit, Nobilium, Principum, Legatorum, Prælatorum, Episcoporum, & Cardinalium, eorumq; ac ipsiusmet Papæ familiarium & continuorum commensalium. Pius IV. Const. 3. §. 7. & paulus V. Const. 28. §. 9. Ita ut ubique vult, spiret, inquit Vestrius. l. c.

3. Ad eum quoque tanquam Judicem ordinarium & competentem fit appellatio de omnibus, quæ occurunt in statu Pontificio, atque etiam in toto orbe terrarum, si causæ spectent ad forum Ecclesiasticum. Cognoscit etiam tanquam ordinarius à Papa substitutus sine alio rescripto causas appellationum à sententiis Judicium Urbis (Vicario, Gouvernatore, & Senatore, ac Judicibus Capitolii exceptis) & quorumcunque

que judicium extra Curiam latis. *Pau-*
lus v. Const. cit. §. 10. Procedit vero in o-
mnibus, prout in beneficialibus, sum-
mariè, simpliciter, & de plano sineste-
pitu & figura judicii. *Ibid. §. 11.*

4. Amplissimam quoque potestatem
habet criminaliter contra delinquentes
quoscunque, cujuscunque status, gra-
dus, ordinis, & conditionis fuerint;
procedendi, & tam pœnas pecuniarias
quam Ecclesiasticas infligendi. *Ib. §. 12.*
Ideoque habet ad nutum suum & man-
data Capitaneum seu Barisellum cum fa-
milia armata seu Apparitoribus paratum.
Si vero contra Episcopos vel alios his
superiores agat, non potest decernere
monitoria ad comparendum personali-
ter, nisi prævia commissione manu Pon-
tificis signata. *Ibid. §. 13.* Dum autem
criminalibus causis sese immiscet, non
incurrit irregularitatem aliamve cenlu-
ram Ecclesiasticam, aut infamiae notam
vel aliud aliquod impedimentum, dum
modo sententiam sanguinis per se ipsum
non ferat, neque votum subscribat. *Ib.*
§. 4. Ideo animadversiones corporis re-
mittit tanquam Judex Ecclesiasticus ad
Gubernatorem Urbis, qui ut dicetur,
Executor

Executor est brachii sacerdotalis, & gladii Ecclesiæ temporalis.

§. 5. Præterea est Executor obligacionum secundum formulam Cameræ A. apostolicæ factarum, quales sunt, quibus tenentur debitores, cum Conventionales subeunt censuras, consentientes se pro observatione promissorum posse excommunicari. *Paulus V. Const. 28. Eximiae.*
§. 6. Præterquam si in causis illis obligationum lites alibi introductæ sint, aut agitantur inter cives Romanos juxta Bullam *Pii IV. 56. Inter multiplices.*

6. Est etiam Executor literarum Apostolicarum, sententiarum lectorum in partibus cum censuris, & instrumentorum omnium seu illa sint seu non sint juramento firmata; Ac proinde dat Remissorias & Compulsoriales, decernit monitoria ad partes, promulgat censuras, excommunicat & à divinis suspendit. *Pius IV. Const. 33. & Paulus V. l.c.* Sic autem excommunicati aut alias censorati non possunt ab aliis quam ab Auditore Cameræ, aut ejus locum tenente, nisi in articulo mortis absolvi. *Paulus V. l.c. n. 21..* Plura privilegia & facultates Auditoris Cameræ vide in Bulla citata Pauli V, *eximiae.* Non tamen concedit

mo-

monitoria generalia in forma *significavit*;
Nec impedit Episcopos in executione
Concilii Trid. Pius V. Const. 113.

7. Hæc tamen tam ampla & genera-
lis Auditoris jurisdictio in quibusdam ca-
sibus coarctata est , nimirum primo in
causis Cameralibus utriusque fisci prima
instantia facienda est apud Thesaura-
rium , vel Camerarium , secunda vero
apud Cameram , vel à sententiis Colle-
ctorum apud eosdem Thesaurium , &
Camerarium , & tertia deinde apud Ca-
meram. Secundò in causis spectanti-
bus ad Cameræ Subordinatos , ut sunt
Præsides Annonæ , Graciæ , Dohana-
rum , riparum , Viarum , & Zechæ.

8. Tertiò in causis , quæ habent Ju-
dices particulares privativè , ut sunt cau-
sæ trium Basilicarum Patriarchalium ,
aliorumque piorum locorum , quæ ha-
bent Protectores cum plena jurisdictio-
ne , similiter illæ , de quibus Vicarius ,
Gubernator Urbis , aut Senator priva-
tivè cognoscit . Quarto in causis ve-
rè beneficialibus , matrimonialibus , &
merè Spiritualibus ac Ecclesiasticis , pu-
ta in causis Fidei , Rituum Ecclesiasti-
corum , & Ecclesiasticiæ immunitatis localis
juxta præscriptum Constitutionis Gre-
gorii

gorii XIV. quinto demum juxta declarationem Innocentii X. in causis Regularium, quæ deferri debent vel ad Protectores, vel ad S. Congregationem Regularium.

9. Hanc tam amplam jurisdictionem exercet per Locum tenentes seu Vicegerentes, quos assumere potest per Bullam Pauli V. 28. *Eximia*, Civilem quidem per duos Prælatos, quorum alter privatis, alter publicis præst Judicis; criminalem verò per tertium aliosque adjunctos Judices exequitur.

10. Sunt quoque in hoc Tribunali Auditoris decem Notarii Actuarii, & omni die occupatissimi. Horum Officium venale est, & emitur unumquodque quindecim, vel octodecim, aut etiam viginti millibus Scutorum juxta Officii proventus & aestimationem: Quilibet eorum duos habet substitutos, & octodecim vel viginti circiter Amnuenses, ut plurimum Notarios.

11. His Notariis, eorumque Substitutis plurimum habetur fidei; Auditor enim & ejus Locumtenentes plures eis tradunt chartas in albo à se subscriptas, quibus illi deinde inscribuntur inhibitio-nes, monitoria vel mandata executiva,

ne

ne cum res postula verit necesse sit semper recurrere ad Judicem.

12. Cum inhibitiones & monitoria mittuntur extra statum Ecclesiasticum, expediuntur hæc in pergameno, quæ ignarum vulgus existimat sæpe esse Brevia Apostolica, à quo proinde Rabulæ de foro eam non raro emungunt pecunia summam, quæ solvi solet pro Brevibus, cum tamen pro monitoriis non nisi sumptus unius Scuti faciendi sint.

13. Hæc vero Monitoria quæ dirigi solent ad Ordinarios, Legatos, Nuncios aliosve Prælatos nonnisi simplicem continent citationem, ideoque perperam existimant ii, qui ejusmodi Monitoria accipiunt, se per ea constitui Judices & Delegatos Apostolicos. Ideoq; aslumunt formalem causarum cognitionem etiam infligendo excommunicationem aliasque censuras, quæ omnia fiunt contra intentionem Tribunalis, unde Monitoria promanant.

14. Cum Auditor ejus Tribunalis sit Jūdex Ordinarius non expirat ejus jurisdictio Sede vacante, quemadmodum aliorum Tribunalium præsertim Rotæ, & Judicium commissariorum, atque etiam Signa-

Signaturæ Justitiæ & Gratiæ jurisdic^tio quiescit. Emitur Officium Auditoris se- ptuaginta mille Scutis, & quotannis profert redditum 12. circiter millium Scuto- rum; Vacat vero vel per mortem na- turalem, vel per promotionem ad Car- dinalatum ad quem proximū parat gra- dum hoc Officium. Habet quoque fa- miliam armatam cum proprio suo Ca- pitaneo seu Barisello.

15. Locumtenentes recipiunt per o- mnes Menses stipendium quinquaginta Scutorum ex Notariorum emolumentis, præter alia, quæ illis obveniunt extra- ordinariè. Labor eorum immensus est, semperque concatenatus etiam in Fe- riis, æstivis & Legalibus, solis ex- ceptis Festis Deo Sanctisque dicatis. Quilibet quotidie ante & post meridiem in loco sibi destinato audit juxta ordi- nem distributum duorum Notario- rum hujus Tribunalis causas, ita ut una quandoque die quinquaginta & ultra causæ discutiantur. Accepta hac infor- matione accedunt Locumtenentes ad audientiam citationum, ubi accedunt omnes Notarii Tribunalis cum contra- dictoriis Procuratorum partium magno cum strepitu; & in una audientia tre-

centæ aliquando citationes leguntur;
quibus cum interloqui necesse sit, labor
videtur Humanis viribus major.

§. 4.

*De Gubernatore Urbis Ro-
manæ.*

1. *Gubernatori commissus est gladius Ecclesiæ Temporalis.*
2. *Quo licet dignior sit gladius Spiritualis Auditoris.*
3. *Præcedit tamen Gubernator Camerarium, & terosque Officiales.*
4. *Cognoscit causas civiles & criminales, sed istas cum limitatione.*
5. *Has vero, & causas publicæ quietis præcepue.*
6. & 7. *Privilegia Gubernatoris.*
8. *In civilibus habet unum Locumtenentem.*
9. *ubi & quando hic jus dicat.*
10. *Ad quem fiat appellatio à Locumtenente.*
11. *Locumtenentis emolumenta.*
12. *Duos habet Locumtenentes criminales cum Substitutis, ubi & quando habeantur Tribunal criminale, & qui interfint.*
13. *Modus in eo procedendi.*

1. Guber-

Gubernator Urbis Romanae est secundus Cameræ Apostolicæ Minister, cui commissus est gladius Ecclesiae temporalis, estque in Camera Apostolica Vice-Camerius, & Camerarii Locumtenens. Leo X. Const. 8. *Etsi pro.* Adeoque Prælatus eximiis talentis magnaque experientia præditus.

2. Quamvis vero dignior sit gladius Spiritualis datus Auditori, quo animadvertisit in animas, quam sit gladius Temporalis, quem stringit Gubernator tanquam Executor brachii temporalis in corpora, idque in Urbe duntaxat, & ad quadragesimum ab Urbe lapidem, non in omnes indiscriminatim personas, prout facit Auditor Cameræ, qui ferit non tantum habitantes in Urbe & vicinia, sed in exteris etiam & longinquis regionibus existentes, adeoque Gouvernator ratione Officii sui inferior sit Auditore;

3. Præcedit tamen illum, cæterosque in Camera Clericos, imò Prælatos & Curiæ Officiales omnes post Cardinales, etiam Regum Principumque Oratores, ac Pontificis Nepotes, aliosque Magnates,

tes, qui ad Solium Papale adstare solent in publicis ac solennibus functionibus, idque non ratione Officii proprii, sed tanquam Vice-Camerarius, cui Camerarii jam pridem ex voluntate Pontificis vices suas subdelegarunt, adeo ut jure quasi præscripto hanc sibi delegationem, & dignitatem vendicare possit.

4. Ex Officio vero cognoscit Gubernator causas civiles & criminales. Leo X. l. c. Quoad Romanos autem, & incolas in civilibus Jurisdictio ejus limitata est in novo statuto l. i. c. 41. & quo ad causas Spirituales, & Ecclesiasticas Jurisdictio data est Vicario Papæ à Paulo III. Const. 36. Licet. Semel quot Mensibus visitare tenetur carceres. Pius IV. Const. 58.

5. Præcipuum ergo munus Gubernatoris ejusque Tribunalis versatur circa causas criminales, & delicta reorum castiganda. Cognoscit causas induciarum, quietis publicæ & ruptæ pacis. Audit querelas Vasallorum adversus Dominos suos, & causas salarum, & mercediorū intra fines territorii sui, nimirum quadragesimum ab Urbe lapidem, easque sine Tribunali, & Scriptura summarie, & manu regia decidit juxta Statuta Urbis, vel in eorum defectu, juxta juris com-

communis dispositionem , & Constitutionem Leonis X. *Etsi pro.* Estque in his omnibus inter ipsum & Senatorem Urbis locus præventionis, si vero concurrant, Senator præfertur. *Vestrius l. 2. c. 5.* At si cause ad ipsius Tribunal delatae sint, nemo præter Pontificem poterit eas ad aliud avocare. *Leo X. l. c.*

6. Propter sententiam sanguinis ab eo latam non incurrit irregularitatem ; Potest aurum augete & minuere pœuas tam de jure, quā ex consuetudine infligendas; Potest etiam statutis derogare, & edicta publicare *Leo X. Ibid.* Afferenti se aliquid facere de mandato Papæ omnino credendum est Paulus V. *Const. 107.* Graviora namque negotia communicat cum Pontifice , ideoque singulis Septimanis die Mercurii & Sabbati præ cæteris officiis accessum habet ad Pontificem , præterquam quod eum accedere aut per literas de rebus occurribus informare possit, quoties negotia , aut necessitas postulaverit.

7. Cum per Urbem incedit, præcedunt aliquot bipenniferi bini & bini , qui milites sunt Itali, sed diverso habitu & armis instructi ab his , qui pro custodia Pontificis constituti sunt , aluntur videri ex Camera ad serviti unū illius 300.

L 1 3

Appa-

Apparitores cum Capitaneo, qui per antonomasiā ad differentiam aliorum dicitur Barisellus Urbis Romanæ, & ex familiaribus esse solet Gubernatoris. *De Luca Rel. Cur. Rom. disc. 36. Lunador.*

8. Jam verò in causis Civilibus habet Gubernator unum duntaxat Locumtenentem, qui legum scientia, vita probitate & Romanæ Curiæ experientia insignis, atque ex loco, qui ab Urbe distet quadraginta saltē miliaribus, oriundus sit *Paulus V. Const. 71. universi agri.*

9. Hic jus reddit in aula Palatii Gubernatoris sedens pro Tribunalī circa horam vigesimam (id est secundam circiter post meridiem) diebus singulis exceptis festi vis de præcepto aut consuetudine Almæ Urbis, nec non diebus Coronationis Pontificis viventis, ingressus Gubernatoris, Jovis, Lunæ & Martis immediatè ante diem, ipsoque die Cinerum, tota hebdomada majore, die commemorationis omnium fidelium Defunctorum & Vigiliæ Nativitatis Domini. *Paulus V. l. c.*

10. A sententiis definitivis Locumtenantis appellatur ad Papam & Sedem Apostolicam in causis appellabilibus. In causis

causis verò in quibus de Jure recursus datur, recurritur ad Gubernatorem, idque infra decem dies, qui causas hujusmodi per seipsum, vel alium ab eo deputandum expedit. *Paulus V. ibid.*

11. Locumtenenti solvuntur in principio cujusque Mensis à quolibet ex duobus Notariis causarum Civilium hujus Curiæ quinque Scuta auri in auro. Præterea percipit unum Julium pro singulis his expeditionibus: Pro quolibet mandato executivo non tamen in contumaciam, pro quolibet arresto in carceribus, mandato excarcerandi, significatione dotali, aut vigore termini, aut in vim litis pendentis, aut litis finitæ, aut stante deposito vel negatione, aut data cautione, de stando juri, & judicatum solvendo concessa. Pro qualibet etiam citatione, vel inhibitione vigore commissionis, aut extra Curiam dereta, dummodo in quolibet ipsorum casuum agatur de summa Scutorum auri septem, qui constituant Julios septuaginta septem. *Paulus V. Cons. 71. Universi agri.*

12. Præter Locumtenentem Civilem habet Gubernator duos criminales, & horum singuli suos Substitutos cum Notariis. Habetur Tribunal criminale in Palatio

542 *De Gubernatore Urbis.*

Palatio Gubernatoris die Martis cuiuslibet Septimanæ, cui intersunt dicti duo Locumtenentes, & illi substituti, qui egerunt in causis, quæ proponentur; Advocatus Cameræ & Fisci, Procurator Fiscalis Generalis cum uno altero^e Substituto, Advocatus pauperum, & duo pauperum Procuratores.

13. In hoc Tribunali audiuntur Advocati & Procuratores defendantes reum, & accusantes, qui in Curia adhærentes Fisci seu instigatores vocantur. Pauperes suum habent Advocatum & Procuratorem, & si his addi cupiant alium causidicum, cui plus fidant, permittitur. Discussa causa delinquentis, refert Locumtenens, qui Judicem cum agit, causa merita, tam pro, quam contra reum proleta, & exquirit suffragia Congregatorum; Quæ excipit notatque Gubernator, qui proprium proferre votum non solet, refertque ad Pontificem, ut ab eo recipiat oraculum, quod quandoque conforme est judicio Tribunalis, quandoque disforme, dum pro ratione, & diversitate circumstantiarum vel minvenerit poena, vel augetur, vel etiam injungitur, ut res maturius discutiatur.

§. 5.

De Thesaurario Generali.

1. *Thesaurarius olim Custos erat aeris Cameræ, nunc custodit illud Campor Depositarius.*
2. *Qui Thesaurarius secretus dicitur, hic verò Generalis, cum sit Judex cæteroram.*
3. *Etiam in causis criminalibus, & magnam illi concessit facultatem Pius IV.*
4. *Et Sixtus V.*
5. *Habet curam Congregationum Montium, Computorum & Baronum.*
6. *Habet etiam domi sue Congregationem. Qui ad eam admittantur.*
7. *Et interest omnibus Conventibus, in quibus agitur de redditibus Cameræ*
8. *Quem locum occupet inter cæteros Praelatos.*
9. *Officium ejus quando vacet, & quantificatur, quantumque proferat.*

I.

PROXIMUS post Camerarium in Cameræ, Apostolica ratione Officii est Thesaurarius seu Praefectus ærarii, cuius Officium quondam erat æs Cameræ Apostolicæ recipere, custodire, & ubi opus

opus , erogare redditis rationibus Cameræ etiam cum juramento , eas veras esse. Pius IV. *Const.* 87. §. 35. Nunc vero asservat pecunias Cameræ seu fisci publicus quidam & probatus Camplor , qui Cameræ Depositarius nuncupatur , quas deinde ad Papæ ejusque Officialium dispositionē extradit , aut ad usus assignatos expendit.

2. Hic Thesaurarii secreti nomen sortitus est ad differentiam illius , de quo agimus , qui generalis appellatur , elque Judex & Superior aliorum omnium Thesaurariorum per Provincias , præsertim Marchiam , Æmiliam ; Umbriam & Patrimonium , & Director omnium Preventuum , & emolumentotum Pontificis , ac Cameræ illius , adeoque mixtam habet jurisdictionem Ecclesiasticam & secularem , cum Judex quoque sit appellationis Collectorum Apostolicorum.

3. Est præterea Thesaurarius Judex competens causarum Cancellariarū criminalium Status Ecclesiastici ; Et concessit illi Pius IV. *Const.* 83. Superna amplam facultatem locandi & vendendi Cancellarias criminales Status Ecclesiastici tam Originariis quam forensibus , atque etiam obligandi Cameram pro vendi-

venditione harum Cancellariarum criminalium ; Si etiam lites aliquæ , aut dubia earum occasione forte orirentur, potestatem eidem concessit illa deciden- di de plano, summarie, omnique appell- latione remota.

4. Cognoscit etiam causas concer- nentes spolia Sacerdotum Ecclesiastico- rum, & Defunctorum, fructus male per- ceptos , ac illicitas negotiations , idque Summarie & de plano. Similiter co- gnoscit de appellationibus à sententiis Nunciorum Sedis Apostolicæ Collecto- rum , & aliorum Officialium à se De- putatorum. Promulgat edicta & ordi- nationes , ac debitores Cameræ ad sol- vendum cogit ; Pro expeditione verò suarum literarum nil solvit. Habet de- mum facultatem loco sui constituendi , & revocandi Vice - Thesaurarium , aut Locumtenentem generalem , ac unum seu plures Auditores. *Sixtus V. Conf. 100,*
In Conferendis.

5. Comissa quoque est Thesaurario cura & protectio Montium , ideoque si- ve agatur de novis erectionibus Mon- tium Cameræ , Baronum , vel Commu- nitatum, sive de ेectorum commercio , & translatione de persona in personam , id
omne

546 *Dē Thesaurariō Generali.*

omne perficitur per Thesaurarium, qui
res transactas literis confirmat patenti-
bus, ideoque Caput & Judex est Con-
gregationum Montium, Computorum
& Baronum.

6. Præterea instituit domi suæ singu-
lis Septimanis Congregationem, ad
quam accedunt, ipso Præsidente, Ad-
vocatus & Commissarius Cameræ cum
Computista, ut vocant; Deinde Solli-
citor Cameræ, Substitutus Commis-
sarii, & quandoque ipsius Thesaurarii
Auditor; In hac Congregatione tra-
stantur ea, quæ quotidie occurunt,
etique præparatoria ad Generalem illam
Congregationem, quæ Computorum
dicitur.

7. Interest quoque Thesaurarius omni-
bus conventibus, in quibus de bonis,
proventibus, & expensis Camera Apo-
stolicæ tractatur, ac revidet rationes
Ministrorum & Officialium ad hanc Ca-
meram spectantium.

8. Locum vero obtinet in Camera,
& actibus cameralibus immediate post
Vice-Camerarium. In Capella etiam
Pontificis, & quibuscumque sessionibus,
processionibus, equitationibus, aliisque
actibus tam publicis, quam privatis se-
quitur

quitur immediate Auditorem Cameræ, ante omnes Episcopos, Primates & Patriarchas *Sixtus V. Const. 100.* Majorque illis duobus ostenditur honor à Cardinalibus & Oratoribus Principum, à quorum etiam *Corteggio*, ut vocant, incommoda valde obsequij servitute, quâ eos excipiunt deducuntque, sunt exempti, ut nonnisi Cardinali Nepoti hoc obsequium præstent.

9. Officium Thesaurarii vacat vel per mortem, vel per promotionem ad Cardinalatum, ad quem aditum præbet. Olim emebatur Scutis sexaginta millibus monetæ, nunc à tempore Alexandri VII. Scutis quinquaginta sex millibus auri stamparum, profert vero in proventibus annuis decem circiter vel duodecim millia Scutorum, præter pensionem annuam, quam accipit pro familia, ducentorum Scutorum, & victum quotidianum pro se, & octo familiaribus suis, ac duobus equis *Sixtus V. l. c.*

§. 6.

De Præside Cameræ.

1. Præsidentis Officium.

2. Est Prælatus & emit officium

i. Præ.

Praesidens Cameræ Apostolicæ preest rationibus universi ærarii, easque recipit ab iis, qui proventus Cameræ Apostolicæ in Urbe, & in Provinciis colligunt, & administrant; Assidet quoque in Tribunal Cameræ, sed suffragium, uti nec cæteri Camerale non habet.

4. Censetur inter Prælatos, & vestitur habitu violaceo. Emit Officium suu trigesies mille Scutis, percipitque profuctu annuo ex centum Septem vel octo Scuta.

§ 7.

De Advocato Pauperum.

1. Romæ instituta est pia Congregatio Curialium pro miserabilibus gratis juvandi, & alitur à Pontifice Advocatus pauperum.
2. Officium Advocati pauperum.
3. Interest Congregationibus criminalibus.
4. Officium est perpetuum, que emolumenta proferat.

I. Cum

Cum fæneretur Domino, qui miseretur pauperis, ut inquit Sapiens Prov. 19. Non solum instituta est Romæ inter cetera quamplurima pietatis ac misericordiæ opera Congregatio pia Curiæ diebus festis quibusdam haberi solita in Ecclesia S. Caroli ad Catenarias pro receptione supplicum libellorum personarum miserabilium, quæ gratuitum patrocinium implorant, sed etiam Pontifices constituunt, & ex ære publico alunt Advocatum Pauperum, qui eorum partes contra Advocatos Fiscales, & aliorum potentiorum invasiones tueatur & defendat, ne ex defecitu mediorum egeni Advocatorum avaritiam explere non valentes, indefensi pereant.

2. Officium ergo hujus Advocati est gratis personis miserabilibus assistere, scripturas formare, & optimo quo potest modo earum causas defendere. Ideoque adesse semper debet tam publicis quam privatis carcerum visitationibus, & sollicite curare, ne carcerati à Judicibus, Executoribus aut custodibus plus aequo graventur, eamque ob causam

sam accipiat quotidie à visitatore carceris in scriptis nomina eorum, qui in dies carcerantur. Pius V. *Const. 58.* Paulus VI. *Const. 71.* Non potest hic Advocatus causas divitum defendendas effundere pro precio, tum ne pauperum causas deserat, tum ne ansa illi detur turpe lucrum faciendi.

3. Interesse quoque potest omnibus Congregationibus criminalibus, quæ omni Septimana habentur in Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Cameræ & Vicarii, atque etiam in Foro Capitolino, & in iis præcedit Advocatum Fisci.

4. Officium hujus Advocati est perpetuum, nec vacat nisi per mortem vel promotionem ad munera majora & incompatibilia. Habet pro annuo Salario mille circiter auri Scuta, præter alia emolumenta & immunitates à Gabellis & ejusmodi oneribus. Accedit Pontificem non solum cum cæteri Oficiales ordinarie admittuntur, sed etiam quandocunque res postulaverit.

§. 8.

De Procuratore Pauperum.

1. Procuratores pauperum sunt duo, alter à Pe-
pa, alter ab Archifraternitate charitatis con-
stitutus.
2. Quod sit horum Procuratorum Officium.
3. Intervent Congregationi Visitationis Carcer-
orum. Nil à carceratis accipere possunt.

I.

Procuratores pauperum sunt duo,
quorum alterum constituit Papa jux-
ta morem magnorum Tribunalium tan-
quam Adjutorem Advocati pauperum
in iis, quæ in Processibus ordinan-
dis necessaria sunt. Alter constituitur
ab Archifraternitate, quæ Charitatis
dicitur, erecta in S. Hieronymi Eccle-
sia prope Palatium Farnesianum.

2. Illorum officium est causas pro
defensione pauperum instruere, ideoq;
Procurator constitutus à Papa quotidie
cum Substituto visitare debet carcères,
& annotare nomina tam eorum, qui ad
illos ducuntur, quam Judicum, quo-
rum mandato incarcerantur; Anno-
tare etiam causas detentionis, diem &
horam, quâ in liberiori carcere ponun-

M m tur,

tur, & quasunque res, quæ apud carceratos reperiuntur, omniaque ad Advocatum pauperum referre, quem mel in Hebdomada, & quoties obincarceratos necesse fuerit, accedere debet.

3. Utterque etiam Procurator pauperum locum habet in Congregatione visitationis Carceratorum. Nihil vero omnino accipere possunt à pauperibus, nec etiam ab aliis carceratis, etiamsi divites sint, sine speciali licentia Gubernatoris, aut saltem pauperum Advocati. Pius IV. Const. 87. §. 19. Paulus V. Const. 71. §. 16.

§. 9.

De Advocato Fisci.

1. *Fiscus & Camera in Curia distinguuntur.*
2. *In ea habetur duplex Fiscus favorabilis & onerosus.*
3. *Camera habetur pro Fisco favorabili.*
4. *Advocatus est simul Camere & Fisci. Quod diu duret ejus officium.*
5. *Quibus Congregationibus intersit.*
6. *Committitur ei etiam officium Procuratori fidei.*

7. Quid.

7. Qualia habent emolumenta.

I.

Quamvis Fiscus & Camera in jure & à Jurisperitis non distinguuntur, nihilque aliud sit Fiscus, quam ærarium vel Camera Principis prout complectitur, quidquid ad illius commodum, & rem pecuniariam spectat, in Curia tamen Romana ex Stylo & modo loquendi illius reputantur diversa.

2. Cum enim in ea duplex habeatur Fiscus, alter est favorabilis & privilegatus continens ærarium Principis conflatum ex juribus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non ex multa vel poenit corrogatum: Alter odiosus versans tam circa personales delinquentium poenas, quas urgent Fisci Officiales, quam circa æs, quod ex multa & publicatione bonorum ob perpetrata crimina, & contumaciam conflatur.

3. Cum ergo Camera, licet sit Fiscus in primo & favorabili sensu, distinguitur tamen à Fisco in secundo sensu accepto, inolevit consuetudo in Curia, ut Camera dicatur diversa à Fisco, diversisque nominibus appellantur utriusque Procuratores, nam ille, qui est Cameræ, dicitur Commissarius, ille

M m 2

vero

vero qui est Fisci, appellatur Procurator Fiscalis.

4. Advocatus autem cum utriusque Procuratori in iis, quæ juris sunt, afflere & opem suam præstare debeat, dicitur Advocatus Cameræ simul & Fisci. **A**d vocatum Fisci primum ab Adriano Imp. institutum fuisse tradit Budæus in **P**andætas **T**it. **d**e **O**fficio **Q**uestoris. Munus ipsius olim annale erat. **I**. **C**um **A**dvocato **C**. **d**e **A**dvocat. **d**ivers. **J**ud. Deinde Biennale **I**. **S**ancimus **II**. **eod**. Nunc est perpetuum ad vitam, nisi promoteantur ad officia majora & incompatibilia.

5. Advocatus hic locum habet in Camera inter Camerales, & interest Congregationibus Computorum & Camerali, quæ pro juribus Cameræ habentur coram Thesaurario. Præterea adest in Congregationibus Montium & Baronum, Immunitatis Ecclesiasticæ & Consistoriali; omnibusque aliis, in quibus agitur de criminalibus, & de rebus ad Fiscum, vel Cameram Apostolicam quoquo modo pertinentibus; In iisque operam suam præstare debent gratis & absque ulla mercede; Poteat tamen ab instigatoribus, propriam injuriam, vel inter-

interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud acceptare.

6. Plerumque etiam committitur huic Advocato munus Promotoris Fidei, hoc est Advocati Fiscalis, vel opponentis in causa beatificationis, vel cultus, aut Canonizationis servorum Dei: Ideoque interest quoque Congregationi Rituum, aliisque conventibus, in quibus de ejusmodi materia tractatur. Non admittitur tamen ad Tribunal Inquisitionis universalis, cum hoc proprium suum, & particularem habeat Fiscalem.

7. Emolumenta eadem habet hic Advocatus, quæ habet Advocatus pauperum, & quædam etiam majora, cum inscribere possit in causis criminalibus contra reos accepta mercede ab accusatoribus, vel instigatoribus, quod licet illicitum sit, indecens tamen videtur, ideoque moderni ut plurimum ab hoc abstinere solent.

§. IO.

De Procuratore Fisci & ejus Substitutis.

1. Oficium Procuratoris Fisci.

Mm 3

2. Ep

556 *De Procuratore Fisci*

2. *Est in Curia magnæ auctoritatis.*
3. *Interest Procurator publicis Consistoriis.*
4. *Gratis introducere causas debet.*
5. *Habet septem Substitutos.*
6. *Non potest instituere examen, nisi presente
 judice.*

I.

Procurator Fisci fiscales causas in o-
mnibus Romanæ Curiæ Tribunalis-
bus *ex facto* instituit ac defendit, ideo-
que officium illius consistit in agendo
& procurando, dictusque olim non-
nunquam fuit Curator Reip. *I. Curator C.*
de modo multarum.

2. Nunc in Romana Curia non me-
diocris est auctoritas illius, cum dica-
tur Papæ familiaris, accipiatque portio-
nem ex Palatio, & vestibus utatur vio-
laceis. Assilit quoque Judicibus in cau-
sis fiscalibus, suumque votum sâtem
consultivum confert; Citari enim, vo-
cari, & audiri debet in omnibus causis
criminalibus quorumcunque Judicum
& Tribunalium, exceptis causis Fori Ca-
pitolini, & iis pro quibus in Fisco inter-
venire solet Cameræ Commissarius. *Par-*
lus V. Const. 71. Universi agri.

3. Interesse

3. Interesse quoque solet publicis Consistoriis, & curare ut de rebus ibi publice gestis per aliquem ex Protonotariis Apostolicis ad perpetuam rei memoriam publicum conficiatur documentum, cum intersit Reip. eiusmodi rerum conservare Testimonium. *Vestrius. l. 2. c. 9.* Nominatur ab ipso Papa, & in admissione ad Officium, quod manuale est, praefstat in Camera juramentum fidelitatis. *Paulus V. l. c.*

4. In introducendis causis nihil omnino ab instigatoribus accipere potest pro Decreto vel Subscriptione cujuscunque Monitorii. In prosecutione verò causarum nonnisi moderatè pro labore ad commodum instigatorum subeundo admittere potest. Nihil verò à reis sub quovis prætextu.

5. Procurator septem habere debet Substitutos, quibus singulis Camera Scuta quinque menstrua persolvit, videlicet quatuor Substitutos pro Tribunali Gubernatoris, duos pro Tribunali Auditoris Cameræ, & unum pro Tribunal Vicarii. Hi quoque Substituti pro inventariis, cassationibus processuum, citationibus, aut alio quoconque prætextu à reis nihil prorsus,

sus, nec esculentum aut poculentum accipere possunt sub poena infamie, privationis officii, & inhabilitatis. *Paulus V. l. c.*

6. Reos nec ipse Procurator Fisci nec ejus Substituti interrogare, aut testes examinare possunt, nisi in praesentia Judicis; Neque dare possunt mandata voce vel in scriptis de capiendo quempia, nisi in periculo fugae & Judicis absentia. Non tractet Procurator de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; Si reus compositionem petat, fiat cum interventu Judicis. Neque etiam Procurator quavis ex causa quiequam à Substitutis suis recipiat, sed omnia emolumenta illis liberè & integrè relinquat. Si Substituti illi ad reformandos processus extra Urbem mittantur, ultra vietus & equorū impensam debita quoque & taxata viatica nil recipere possunt. *Paulus V. l. c.*

§. II.

De Commissario Cameræ Apostolicæ.

I. *Qualis Commissarius esse debeat.*

2. *Quod*

2. Quod officium illius.
3. Habet curam Archivii Cameræ.
4. Quo habitu utatur, & quem locum occupet
in actibus publicis.
5. Nunc auctoritas cum functione diminuta est.

I.

Commisarius Cameræ Apostolicæ
debet esse Clericus vitæ & morum
probitate præditus, utriusque vel al-
terius Jurium Doctor, estque verè fami-
liaris & commensalis Papæ *Sixtus V. Const.*

14. *Ad excelsum.*

2. Tractat & exequitur ea Cameræ
negotia, quæ ad judicia non pertinent;
Præst exactionibus publicis, vectigali-
bus annonæ, cūdendæ pecuniæ, aliis-
que negotiis Cameralibus. *Vestrius l. 2.*

10.

3. Commissa quoque est illi administra-
tio Archivii Cameræ Apostolicæ, &
procedere potest contra detinentes, &
non revelantes scripturas Cameræ in to-
to Statu Ecclesiastico viâ executivâ &
manu regiâ. *Sixtus V. l. c.*

4. Gestat habitum in Camera, aliis-
que actibus Cameralibus & carcerum
visitationibus à Clericis, Præsidente,
& aliis Prælatis Cameralibus deferri so-
litum,

litum , & in Camerâ immediate post ipsum Præsidentem , ac in carcerum visitationibus post Clericum carcerum Præsidem , in Capella autem Pontificia , & Consistoriis publicis, processionibus, equitationibus , aliisque actibus , tam publicis quam privatis in loco Palatii Apostolici Auditoribus , ac dictæ Cameræ Clericis assignato immediate post illos sedere & incedere concessit *sixtus V.* titulâ *Const. 14.*

5. Verum hodie non intervenit visitationibus carcerum , & ut testatur *Vestrinus l.c. 10.* omnia ferè quæ ad Officium Commissarii (quod nunc quoque conceditur ad nutum Pæpæ non ad vitam) pertinebant , Gubernator Urbis, Thesaurarius , Præsidens Fiscique Procurator exercent , ut Commissarius solum adsit cum Thesaurario rationibus, quæ de proventibus & bonis Cameraibus dantur , easque revideat ; Gaudet Privilegiis Clericorum Cameræ , & nihil solvit pro expeditione literarum sui Officii *sixtus V. l.c.*

§. 12.

§. 12.

De Clericis Cameræ Apostolicæ.

1. Clerici Cameræ sunt Consiliarii Camerariorum.
2. Quot sunt numero.
3. Sunt Commensales Papæ, & interesse Tribunali debent.
4. Quæ subjecta sunt jurisdictioni eorum.
5. Visitant loca Status Ecclesiastici.
6. Causas ad ipsos spectantes summarie cognoscunt.
7. Ex Clericorum collegio varii præfecti diversarum congregationum eliguntur.

I.

Præter supra recensitos Officiales spectant præcipue ad Cameram non nulli, qui Clerici Cameræ Apostolicæ vocantur. Hi veluti Consiliarii adjungi sunt Camerario, qui ex horum sententia & decreto ut plurimum de jure ad judices rescribere solet.

2. Numerus illorum olim indeterminatus fuit, cum vero successu temporis adeo hic excrevisset, ut confusionem aliqua incommoda causarit, reduxit enim Eugenius IV. Const. 13. Inter cetera.

ad

ad numerum Septenarium, quem dein de Leo X. *Const.* 24. *Licet* confirmavit. Verum aucta negotiorum mole, augendus quoque fuit numerus horum Clercorum, ut duodecim deinde constitui sint *Rubr. in cit. Const.* 24.

3. Sunt vero omnes Comensales & Capellani Papæ, eorumque nomina describuntur in libris Cancellariæ, ut præferantur in gratiis *Sixtus IV. Const.* 1. *Dispositione.* Quandocunque habetur Tribunal, interesse tenentur hi Clerici, ita ut abesse nunquam possint sine licentia Camerarii vel Decani. *Pius IV. Const.* 87. §. 14. Si tamen agatur in eo de iudicis contractibus conductionum & locationum cum ipsorum Consanguineis intervenire ei prohibuit Paulus III. *Const.* 18. *Alias.*

4. Jurisdictioni illorum subjiciuntur tam in Urbe quam extra causæ circa datia, Gabellas, Dohanas & eorum officiales Dohanerios, & Appellatores. Item commissa est illis cura ripæ mercium, Grasciæ Salis & Aluminis, Zecchæ, carcerum, stratarum tam Urbis, quam cæterorum locorum Status Ecclesiastici. Subsunt quoque jurisdictioni illorum omnes Depositarii & Thesau-

rarii in statu commorantes Leo X.
sit. Const. 24.

5. Tenentur etiam loca Status Ecclesiastici visitare, ut inquirant de abusibus & criminibus *Julius I. Const. 8. §. 2.* & tunc cogere possunt quoscunque ad exhibenda documenta cujusvis generis. *Ibid. §. 33.* Sic autem visitantibus Legati, Gubernatores, Episcopi, Capitanei aliquique vel ab ipsis deputati assistere; & opem ferre tenentur. *Ibid.* Arbitrantur quoque damna spoliatorum à Latronibus inspectis circumstantiis, & recepto juramento ab illis. *Leo X. Const. 28. §. 3.*

6. Jurisdictio autem illorum non extenditur ultra cognitionem causarum interesse Cameræ concernentium *Pius IV. Const. 55. §. 3.* Has ergo solum cognoscunt, idque summarie & sine Strepitu judicij inspectâ solâ facti veritate. *Innoc. VII. Const. 4. §. 2.* Omniaque lingua latina proppnuntur. *Leo X. Const. 24. §. 6.* Sententiæ vero latæ super causis spequantibus ad Fiscum ob omissionem solennitatum non annullantur *Innoc. VIII. l. i.* Causas appellationum à sententiis definitivis intra 40. millaria ab Urbe in rebus non excedentibus valorem 25. Ducatorum committere possunt. *Pius VII. Const. 55. §. 4.*

7. Ex



7. Ex hoc Clericorum Collegio unus semper est Præfetus annonæ unus Præfes Grasciæ, seu victualium pinguium, unus Præfetus carcerum, & unus Præfetus viarum. Singulorum officia exponemus, ubi de Congregationibus super his rebus infra agemus.

§. 13.

Praxis & Ordo, qui in negotiis proponendis & discutendis in Camera Apostolica servatur.

1. Pridie Judicii habendi vocantur per Curates ad Cameram spectantes, qui altero die venire tenentur.
2. Comparent in habitu suo consueto, Missam audiunt, & versus Cameram singillatim eunt.
3. Ad locum propositionum cum pervenerunt, proponunt Advocati & Procuratores causas quas Mensarius notat, & deinde Cameram ingrediuntur.
4. Ingressi Cameram præmissis precibus, eos qui proponere aliquid voluerint, audiunt.

§. 13.

5. Occlusa Camera inchoatur judicium, quod duabus minimum horis durat.
6. Mensarius causas notatas legit, quas Decanus distribuit inter Clericos.
7. Has illi in alia sequente Camera referunt, & Decanus vota singulorum acquirit, fitque decisio juxta majorem partem.
8. Vota foris nemini revelanda sunt.
9. Decisiones inscribuntur libro & expediuntur.
10. Notarii Procuratorum officium non subeant. Pauperum causæ gratis expediantur.
- II. Rationes dantur in Camera Clericis ab Administratoribus.
12. Quæ examinantur, & si justæ sunt, approbantur & inscribuntur libris rationum.

I.

Pridie illius diei quo Cameræ Apostolicæ Tribunal seu judicium habendum est, debent id Curores sub pœnâ amissionis salarii menstrui, jubente ipso Camerario seu Vice-Camerario intmate singulis tam Clericis, quam aliis ad Cameram spectantibus. Altero deinde die omnes invitati summo mane horâ constitutâ in Palatio Apostolico, vel ubi cunque Camera haberi consuevit; comparere debent, à quâ nemo abesse potest.

est absque licentia Camerarii vel Decani , excepta publicæ utilitatis privatæque necessitatis causâ , quam tamen absens per nuntium eidem Cameræ significare impediti debent.

2. Comparent verò Clerici , in Rochetto & cappa qui eisdem utuntur , reliqui vero solitis vestibus rubeis & violaceis , nulla habitâ Consistorii distinctione induti , ac pulsatâ campanula ad Missam accedunt , quæ Decano & alio Clerico , vel absente Decano , duobus minimum Clericis assistentibus celebrati debet , eaque peracta præeuntibus duabus Cursoribus omnes Cameram versus se conferunt , alias post alium servato ordine incedentes , quo quisque commodius ab agentibus & colligantibus de rebus pertractandis valeat informari .

3. Postquam ventum est ad locum propositionum causarum imperato per Camerarium vel eo absente per Vice-Camerarium seu Decanum silentio , Advocati , Procuratores aliique ad hoc constituti causas dilucidè , reverenter , & sine strepitu proponunt ut intelligi , & à Clerico Mensario notari possint . Notarii vero dictæ Cameræ Procurato-

ris
sur
Ca
na
Pa
pt
pre
Cl
ing
4
ger
tun
B.
Spir
mer
anim
5
ditu
ne u
iii v
forte
rio C
quic
tur
inch
ris c
tes e
mini
dege

ris causarum officium exercere non pos-
sunt sunt pœna ducentorum Ducatorū.
Causæ pauperum & miserabilium perso-
narum ab Advocatis, & Procuratoribus
Pauperum gratis tractandæ sunt. Scri-
ptis omnibus per Clericum Mensarium
propositionibus eo die occurrentibus
Clerici cæterique Camerales Cameram
ingrediuntur.

4. Quibus ingressis flectunt omnes
genua & recitat novissimus Clericorum
tum præsentium altâ voce orationem
B. Isidori Episcopi. *Adsumus Domine sancte
Spiritus.* Hac finita si quis in plena Ca-
mera quipiam proponere cupiat, æquo
animo, ac benignè auditur.

5. His ita ritè peractis Camera clau-
ditur, excubante præ foribus Cursore,
nec ullus eam sine licentiâ Vice-Camera-
rii vel Decani ingrediatur, nec ulli, nisi
forte Procuratori Fisci, vel Commissa-
rio Cameræ, seu Procuratori pauperum
quicquam amplius proponere permitti-
tur; Sed semotis omnibus Tribunal
inchoatur, quod duabus omnino ho-
ris continuis minimum, vel diutius, si
tes exigant, habetur, quo tempore ne-
mini nisi à Papâ vel Cardinale curam
negotiorum gerente avocato, aut ur-
gen-

genti aliquâ necessitate coacto egredi licet.

6. Ergo silentio à Camerario, seu eo absente à Vice-Camerario vel Decano omnibus imposito Mensarius propositiones à se notatas legit. Tum Decanus distribuit causas per Turnum incipiendo ab eo Clerico, quem Camerarius nominaverit, vel eo absente, quem sors ducta tulerit, exceptis causis concorrentibus officia vel Gubernia Clericorum, quæ Clericis relinquuntur.

7. In causis autem expediendis hæc ratio habetur, ut quæ judicialem indicinem requirunt, non decidantur aullo Clericorum, nisi citata prius ad informandum parte, & causæ in plena Camera propositæ fuerint. Causæ vero propositæ ordinatim discuti debent (pr. latis semper pauperū & viduarū negotiis) ita ut quilibet Clericus causam sibi commissam cum juribus & rationibus partium in alia Camera breviter referat, quo facto exquirit Decanus vota singulorum Cameralium primo, deinde Clericorum incipiendo ab ultimo, ita ut ipse Decanus ultimus sententiam dicat, & iuxta majorem partem votorum fit decisio. Si vero ea æqualia sint, prævalet pars cui Camerarius adhæserit, vel eo al-

sente, major pars Cameralium haben-
tium vota consultiva. Causas gratiam
sapientes remittit Decanus ad Pontifi-
cem, ad Gubernatorem verò, Auditio-
rem Cameræ, & Thesaurarium ea quæ
ad illorum jurisdictionem spectant.

8. Si quis vel proprium vel aliorum
suffragium foris revelaverit, incurrit
ipso facto excommunicationem soli Pa-
pæ reservatam, & primâ vice quingen-
torum, alterâ mille ducatorum, & ter-
tia vice gravioribus poenis punitur. In
reliquis autem delinquentes in Camera
à Decano coercentur multis, & Pon-
tifici denuntiantur.

9. Proponentes causas in Camera,
scripturas & acta secum habere debent,
& decisiones deinde causarum in libro
decisionum Cameralium, qui asserva-
tur à Mensario, annotare. Quæ non-
nisi in Camera propositæ expediri ne-
queunt, ab omnibus Clericis tunc præ-
sentibus subscribi solent, exceptis sen-
tentiis & mandatis ac expeditionibus
concernentibus officia Clericorum.

10. Notarii dictæ Cameræ Procura-
toris causarum Officium exercere non
possunt, sub poena ducentorum Duca-
torum. Causæ vero pauperum & mi-

570 *Praxis & Ordo in Cam. observ.*

serabilium personarum ab Advocatis
& Procuratoribus pauperum gratia-
tandæ sunt.

11. In Camera quoque recipiuntur &
consolidantur à Clericis rationes omniū
Thesaurariorum, Depositariorum, Com-
missariorum, aliorumque quorumcun-
que rerum & pecuniarum Camerae Ad-
ministratorum & Exactorum; qui jura-
re debent per seipso, si præsentes sint
in Urbe, rationes & computa à le red-
dita vera esse; Si legitimo aliquo impe-
dimento detenti sint, & in Urbe fuerint,
præstant juramentum per Procuratorem,
ac insuper mittitur ad eos Notarius Ca-
meræ, qui simile ab iisdem recipiat
juramentum.

12. Rationes verò illas Notarius ad
Calculatores defert, hi ad Präiden-
tem & Thesaurarium easdem portant,
ut celeriter discutiantur, quas deinde
Clericus domi suæ præsente Commis-
sario solidat. Quo facto rationes descri-
buntur ab eo, qui eas reddidit in libro
rationum, & à computatore descrip-
ta conferuntur cum originali; Si concor-
dent, testatur id manu sua utrobique
his verbis in libro justificationum: Con-
cordat cum Originali. A tergo verò
Ori

ginalium scripturarum : Cum Registro
concordat , Subscripto ejus nomine
proprio. Libri hi rationum ad Archi-
vium Cameræ reponuntur Pius IV. Const.
87. cum inter cæteras.

§. 14.

De Expeditione Literarum
Beneficialium per Came-
ram.

1. Per Cameram etiam expediuntur Literæ Be-
neficiales.
2. Summatoris officium institutum & confirma-
tum.
3. Quod illud sit.
4. Habitat in Palatio Papæ , & gaudet quibus-
dam privilegiis.
5. Habet in officio Adjutores & pro emolumento
suo multa millia.
6. 7. & 8. Ordo expeditionis Literarum.
9. Concessiones per literas Apostolicas impetra-
tæ intratres Menses in Camera præsentari de-
bent , ut registrantur.
10. Praxis Registrationis.
- II. Summator non astringitur in expeditione
Regulis Cancellarie.

N n 3

I . Di ctum



I.

Dictum est supra inter cætera exp̄-
diri quoque in Camera Apostolica
literas beneficiales; Cum enim Cam-
cellaria, in qua regulariter ejusmodi li-
terarum expeditiones fiunt, suas ha-
beat regulas limitatas, quas non trans-
greditur, conveniens fuit, ut si Ponti-
fex alicui veller ampliorem præstare
gratiam, aut si quæ expediri per Ca-
cellariam non possent, alius pateret adi-
tus ad gratiam illam obtinendam, qui
est per Cameram.

2. Quare constitutus est in ea
Præfectus aliquis, quem Summato-
rem seu Summistam nominarunt, ex
eo quod literas summarie cognosce-
ret & subscriberet; cuius officium deinceps
ad instar aliorum in Curia Romana
officiorum, ut perpetuum esset ordina-
vit Alexander VI. *Const. 10. In eminenti-*
& confirmavit Pius V. Const. 105. Pon-
tifice dignum. Qui & statuit conferendum
illud esse uni ex S. R. E. Cardinalibus,
ac facultatem simul & jurisdictionem
Summatoris in suos subditos defini-
vit.

3. Officium vero Summatoris est re-
cipere, videre, summare & referre li-
teras

teras Apostolicas , quæ per Cameram Apostolicam expediuntur. Alexand VI.
cit, Const. 10. Concessa sunt illi omnia privilegia scriptorum literarum Apostolicarum ; Exercere potest officium suum per alios ; nec ullæ omnino literæ, quantumcunque secretæ , nisi prius à Summatore examinatæ , à Secretariis expediri debent , nec possunt ab iis aliis- ve domesticis literæ illæ plumbatæ re- gistrari, nisi in hoc Officio sint expeditæ. Quotidie ad Summatorem venit Bullator qui acceptas ab eo literas bul- lare debet.

4. Habet Summator vel ejus Substi- tutus mansionem seu Cameram in Pala- tio Apostolico , & vietum pro se & uno famulo , estque exemptus ab omni onere etiam decimarum Papalium , & à quacunque contributione.

5. Adjuncti sunt Summatori qui sub- levent eum in Officio , unus Præsidens, qui vices ejus gerat , & quatuor Reco- gnitores literarum. Ad hæc annexa sunt Officio Summatoris quædam Offi- cia Cameræ valoris scutorum 70. mil- lium quæ in emolumentum ejusdem cedunt Pius 5. Const. 105. Pontifice di- gnum.

6. Ca-



6. Cameralis vero expeditionis literarum ordo hic est: Delata ad hoc officium supplicatione, conficiuntur literæ, quæ ab uno recognitore, qui tum vicem obtinebit, præsente Summatore, vel Præsidente, diligenter & accurate examinantur; Summator deinde jubet illas à se subscriptas, de more expediri.

Pius. V. l. c.

7. Postea Scriptores & Abbreviatores conficiunt ex iis Bullam, quam ab iisdem acceptam supplex, si Bullæ materia annatæ solutionem requirat, potest ipsemet deferre ad participantes, eorumque subscriptiones, soluta illis portione debitâ sollicitare; Si autem annata solvenda non sit, defertur Bulla una cum supplicatione ad Suñistam, vel ejus Vice-Gerentem, qui judicat, an concordet, & si opus sit, eandem corrigit. Tum ad Officium Plumbi transmittitur, & plumbata defertur ab altero Plumbatorum ad pedes Pontificis, ejusque jussum expressum petit, quem Pontifex signo crucis manu formato concedere solet.

8. Quo impetrato Bulla à Plumbatore ad Summatorem refertur, quireceptæ Bullæ fidem manu sua facit, &

si signata non sit à Jannizeris, eam mittit ab uno eorum subsignandam. Si materia partis consensum desideret, mittit Summator Bullam ad Notarium Cancellariæ vel Cameræ, quem intelligit habere consensum, & receptam deinde Bullam cum consensu requisito à tergo, mittit ad Notarios Cameræ, quorum unus juxta Turnum eam ad Registrum refert, manuque fidem registraturæ facit scribendo à Tergore: *Registrata in Camera Apostolica subscripto nomine: N. Notarius: Vestrius. l. i. c. 6.*

9. Ad hæc mandavit Pontifex Pius IV. *Const. Ingens humanis, Ut omnes, qui impetrabunt Privilegia, indulta aut concessiones, per literas Apostolicas sub plumbo, ac in forma Brevis expeditas, quæ interesse Cameræ Apostolicae concernere censemuntur, debeant illa, intra tres menses à die illorum impetrationis in eadem Camera presentare, & curare ut ibidem sub pœnâ invalidationis eorundem registrentur.*

10. Praxis

376 *De Expeditione Lit. Benef.*

10. Praxis vero Registrationis ^{hæc} est: Ipsæ literæ præsentantur alicui ex novem Notariis ejusdem Cameræ) Hi sunt diversi à Notariis Auditoris Cameræ) qui eas ad Registrum refert, ac exinde transumptum in forma probandi conficit. Si verò casu aliquo literæ sic registratæ non fuerint, ne Orator effectu concessæ gratiæ frustretur, petit per libellum supplicem annexo illi Chirographo vulgari sermone conscripto, restitui aduersus lapsum temporis, ut literæ registrari possint. *Corradus.*

11. Demum notandum est Summatorem in expeditione Literarum non astringi Regulis Cancellariæ, in eâ namque non extraduntur Literæ, nisi registratæ & plumbatæ fuerint; At verò in Camera dantur subinde literæ non registratæ, & tunc Summatore tradit plumbatas nondum registratas Expeditori, qui copiam collatam cum Autographo refert primum ad Registrum, cum fuerit solutum pro plumbo. *Amynde,*
L. I. c. 36. n. 21.

C A P U T